

1346 dulus Principis frater , in castra ad ea quæ e Republica essent providenda venere , atque iccirco *Provisores* ab initio hujusmodi magistratus appellatos existimo : nos vero ubique Legatorum nomen libentius usurpabimus . Sub eorum accessum placuit terra marique urbem oppugnari : acceperant , credo , Lodovicum cum ingentibus copiis approximare . Magno igitur certamine urbem adorti , hinc navales turmæ pontes e navibus in muros demittere , atque in urbem transcendere conabantur , inde terrestres copiæ vineas , arietes , aliaque bellica opera muris admovere . Utrobique res parum prospere mota est . Transcenderant in muros ab initio aliqui , pontibus e summitate navium ad mœnia admotis , ingentemque oppidanis trepidationem injecerant : cæsi etiam ex hostibus nonnulli primo incursum mox vero desperatione adacti impetum in socios navales faciunt , mœnibus deturbant , pontes , quicunque fuerant admoti , aut non multo post erant admovendi , refringunt ; quibus disiectis , rejiciuntur cum ignominia ab oppido clafifarii milites . Nec terrestre prælium fœlicius fuit : nam machinæ , quæ mœnibus admoveri debebant , inter agendum fractæ irritos fecere Venetorum conatus . Militibus igitur certamine aversis datum est signum receptui . Secundum hanc pugnam Lodovicus Rex cum centum & viginti millibus armatorum circa Jaderam tumultuose confedit : qui ut urbem suæ fidei traditam obsidione levaret , confessim ad Venetæ munitionis oppugnationem accurrit : dat signum pugnæ . Barbari terribili clamore Venetum vallum invadunt , rati neque fossas neque munitiones ullas esse , quæ suos remorari possent conatus . Jaderenses & ipsi , eruptione facta , præsidium una oppugnare adorti sunt . Veneti non solum cætera strenue defendunt , sed a vallo quoque cum multa cæde barbarum summovent . Interim qui in navibus erant , auditu clamore , rati , quod erat , suos acri oppugnatione laborare , confessim , relicto ad naves præsidio , in littus desiliunt , ac denso agmine ad opem ferendam accurrunt . Quod quidem conspicati , qui intra munitiones erant , sublato clamore , repente in hostem erumpunt .

*Veneri Ja-
deram ob-
sident , & op-
pugnant .*